

P R A E F A T I O

in

Atlantem.

Atlas rex Mauritaniae & regio stemmate natus, patrem habuit Terrenum siue indigenam, iuxta Eusebii ex antiquissimis historicis testimonium, qui fuit Caelus cognominatus, & matrem Titeam, cognomine Terram, auum paternum simulq; maternum Elium siue Solem regem Phœnicia, qui cum vxore Beruth in Biblo habitabat ambos insigniter in Astronomia & naturalibus disciplinis versatos, ita ut eruditionis gratia Solis & Caeli nominibus digni haberentur. Et quidem Atlas, ut citant veteres, Diodorus lib. 4. cap. 5. astrologus fuit peritissimus, deq; Ephœra primus inter homines disputauit. Fratres habuit multos, quos Caelus ex diuersis vxoribus genuit vsq; ad 45. quorum 17. ex Titea prudentissima, & hominibus multum benefica famina habuit, quos communi nomine à matre Titanes appellauit; Sorores quoq; habuit, inter quas præcipua fuerunt Basilia, quæ fratres omnes suos in gratiam matris educauit, proptereaq; magnam auit matrem appellatam, & Rhea quam Pandoram dixerunt. Basilia autem cum Caelus obisset, ut prior annis, prudentiaq; & virtute reliquis præstantior, communi fratrum & populorū consensu regnum nacla est adhuc virgo, cum nulli antea nupsisset. Postmodum cupiens regni hæredem relinquere, fratri Hyperioni nupsit, ex quo duos peperit liberos, Solem & Lunam, quorum prudentiam adminati Hyperionis fratres, ne ipsius posteris regnum confirmaretur, ipsum obruncârunt, & Solem adhuc puerum in flumine Eridano suffocârunt. Tum Caeli filij, quorum nobiliores Atlas & Saturnus erant, inter se partiti sunt regna patris, Atlantica loca iuxta Oceanum, & Lybiam vsq; & fretum Gaditanum contigerunt, vbi mons Atlas & gentes Atlantes ab eo dictæ sunt in Mauritania. Saturno vero Sicilia ac Libya obuenerunt, qui & postea exosus à suis ob tyrannidem in patrem Cælum commissam, fugit in Italiã, ibi à Iano particeps regni factus. Quia autem Diodorus citat, primum apud Atlantes regnasse Cælum, hominesq; antea per agros dispersos ad cætum condendasq; vrbes ab eo exhortatos esse, certum est, antiquissimos hos reges esse, fuit enim Atlantis filius Atlas, pulso fratre Hespero, rex Iberiæ, quæ post Hispania est dicta, anno post diuinũ vniuersale 738. Hespero in Etruriam fugiente, vbi factus est Iani tutor. Annus Atlantis Elius in Phœnicia regnabat anno à dilunio 662. Et testatur Diodorus hos reges insignem prudentiam ex natura rerum & contemplatione naelos, simul & humanitati ac pietati assuesactos esse, ut merito dicat Diodorus, Atlantes tum pietatis, tum erga aduenas humanitatis præ ceteris gentibus laudem tulisse, quando vix 22. aut 23. generatione completa, multæ continentis partes hominibus adhuc vacuæ erant. Habuit Atlas plures filios, sed vnum pietate ac in subditos iustitia humanitateq; insignem, quem Hesperum appellauit, qui cum in Atlantis cacumen ad scrutandos astrorum cursus ascendisset, subito à ventis correptus, nequaquam amplius visus est. Sic Diodorus; sed ego ut dixi regem in Iberia fuisse inuenio, adeoq; ventis secundis in eam traiecisse, vbi ita prudenter & piè vixit, ut cum à fratre in Etruriam fugisset, ob insignem sapientiam & prudentiam, in Iani tutorem & regni administratorem sit constitutus, quæ munia frater eius Atlas post Hesperii mortem suscepit. Hunc Atlantem tam insignem eruditione, humanitate ac sapientia virum mihi imitandum proposui, quo ad ingenium & vires suppetunt, Cosmographiam veluti ex alta animi specula contemplaturus, si forte aliquid veritatis in rebus nondum percognitis rimari possim, quod ad sapientiæ studia conferas. Et ut Cosmus omnium rerum numerum, species, ordinem, harmoniam, proportionem, virtutes & effectus continet, ita à creatione incipiens, partes eius omnes, quatenus methodica ratio postulat, iuxta creationis ordinem enumerabo, & physicè contemplabor, quod cause rerum innotescant, ex quibus scientia constat, ex scientia, sapientia, quæ ad bonos omnia fines dirigit, ex sapientia prouidentia quæ finibus facilem viam præstruit: hic erit mihi scopus omnium, deinde de suo ordine tractabo cælestia, mox astrumantica, quæ ad diuinationes ex astris pertinent, quarto elementaria, deniq; geographica, sic totum mundum tanquam in speculo proponam, ut ad inueniendas rerum causas, sapientiam & prudentiam assequendam, sint aliqualia rudimenta, & lectorem ad altiores speculationes ducere possint.

a i